

tione facienda eximeretur qui consilium dedisset alteri jam ad agendum determinato, quia fieri posset quod consilium istud vere influxerit in actionem damnificativam: hic recidit fere quæstio quam infra expendemus in articulo III. Sed cum gradus influxus æstimari et existentia obligationis persuaderi rarissime possent, illa obligatio, si vere, ut multi volunt, existeret, non foret urgenda. Si in bona fide et absque culpa theologica consilium dederit, ad nihil tenetur; si partem tantum damni consuluerit, partem tantum reparare tenetur, v. g., si parato decem furari francos, suavit ut viginti subriperet, ad decem tenetur. E contra, si exsequens in bona fide, vi consilii damnum intulerit, ad nihil tenebitur, nisi ratione rei acceptæ et detentæ; consulens vero ad totum obligabitur, nisi aliqua ratione a peccato excusetur. Si consilium determinaverit tantum modum, circumstantias temporis aut celeritatis actionis damnificativæ, consulens in tantum restituere tenebitur in quantum illæ circumstantiæ æstimabuntur damnosæ. *Sic communiter doctores.*

Consulens autem qui, ratione professionis vel officii, decernit talem actionem esse licitam, in tali casu nullam restitutionem faciendam, ut sunt parochi, confessarii, concionatores, theologi, advocati, etc., totum tenetur reparare damnum ex consilio suo secutum, si, præ ignorantia vel negligentia, mortaliter peccaverit; non refert autem quod damnum istud respectu consilium petentis existat, vel respectu aliorum quibus consilio persuasus nocet; totum enim consulenti imputandum est. Idem dicendum est de iis qui, licet ratione officii consilium dare non teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis gerunt, ac in tali re se peritos esse profitentur.

Qui vero nec ratione status aut officii consilium dare tenentur, nec peritiam profitentur, ut mulieres et plebei quorum nota est insufficientia, restituere non tenentur erga eum qui consilium petit; damnum enim quod patitur imprudentiæ ipsius tribuendum est. Sed erga alios quibus ex eorum consilio damnum inferitur, restituere tenentur, quia in illud injuste ac positive influunt.

Si quis tamen ostenderet se dubitare, se nescire, vel simpliciter diceret ita sibi videri, damnum inde secutum reparare non teneretur; totum enim imputandum esset agenti, qui, veritate non magis quæsita, periculo damnum inferendi sese exposuisset. Ita *Sylvius*, q. 62, art. 4, *Quær.* 4, cod. 5, 6; *Vogler*, n. 299, et *Billuart*, qui testantur hanc sententiam esse communem.

Quæritur 1° utrum qui, bona fide, injustum dedit consilium, teneatur ex justitia illud, ubi deprehendit esse falsum, revocare.

R. Tenetur ex justitia, ut fert sententia communior et longe probabilior, modo absque gravi detrimento illud revocare queat: *patet ex jam dictis.* Etenim consilium dando non peccavit, ex hypothesi; sed advertens illud esse injustum, et tamen non revocans, cum sine gravi incommodo illud revocare posset, eo ipso fit reus injustitiæ, quia tunc damnum ex consilio secutum ipsi imputabile est: illud ergo reparare tenetur si consilium revocare noluerit. Sic revera a probis et piis viris agitur, atque ita docet *Vogler*, n. 293, cum *Lessio*, card. *de Lugo* et pluribus aliis.

Quæritur 2° utrum qui minus consulit malum ad avertendum majus, restituere teneatur.

R. Vel hæc duo mala eidem personæ inferenda sunt vel diversis personis. Si eidem personæ inferenda sint, consulens minus ad avertendum majus, minime restituere tenetur, tunc enim honorum alterius fuit gestor utilis, nedum ei damnum intulerit.

Contra vero, qui furi grave damnum Petro inferre volenti et paratissimo consulere ut potius minus malum Paulo inferret quia ditior est, illud Paulo restituere teneatur; nam positiva illius fuit causa respectu Pauli, et quidem injuste, quia, etiam ad protegendum innocentem, damnum alteri innocenti directe et positive inferre non licet, nisi ita sit leve ut damnificatus rationabiliter præsumatur illud libenter pati ad malum multo gravius proximi avertendum. *Sic pro utroque casu communissime theologi.*

Quæritur 3^o an liceat avertere maleficum a damno pauperi inferendo, consulendo illi ut potius alios quærat ditiores quibus noceat, nullos in particulari designando.

R. Juxta multos theologos, illud licitum est, si alia via maleficus averti non possit; illud enim licitum est, si nemini jus strictum lædatur: atqui nemo conqueri potest jus suum per tale consilium fuisse læsum; si consulens simpliciter dixisset furi: Noli, quæso, nocere Petro, quia valde pauper est: nulla restituendi obligatio existeret, etsi prævideretur quod fur aliis certe noceret. Porro idem esse videtur si dicat furi: Noli bona Petri subripere; si absolute furari velis, non tibi deerunt alii ditiores quibus cum pari tibi lucro minus noceas. Ita *Vogler*, n. 287, et alii.

Quæritur 4^o utrum consulens, qui consilium suum ante operis executionem revocavit, reparare teneatur damnum si nihilominus sequatur.

R. Si consilium præstiterit decernendo actionem esse licitam vel illicitam, aut precibus, adhortationibus vel blanditiis alterum ad damnum excitaverit, et consilium ante executionem serio revocaverit, ac revocationem sufficienter manifestaverit, de damno postea secuto non tenetur, nam tunc ex sola malitia agentis provenit.

Si autem consilium sit vestitum, ut aiunt theologi, id est si consulens argumentis et sophismatibus quæsierit alterum impellere ad damnum, ostendendo utilitatem actionis vel voluptatem, docendo media quibus tute uti posset, revocatio consilii non semper ab obligatione restituendi eximit; fieri namque potest ut, non obstante hac revocatione, damnum ex consilio sequatur; in illa autem hypothese, adest obligatio damnum istud resarciendi, siquidem totum consulenti imputandum est, quidquid deinde ad illud impediendum fecerit; eodem modo enim se habet ac homo qui ab alto lapidem ex ira in inimicum jecisset, et statim de culpa etiam ante damnum doleret: porro, ille juxta omnes totum damnum reparare tenetur: ergo *a pari*, etc.

Quæritur 5^o utrum qui malo exemplo alios ad damnum alteri inferendum inducit, illud reparare teneatur.

R. Si præbeat malum exemplum ea præcise intentione ut alios ad damnum determinet, evidenter nobis appareat ad restitutionem obligatus, quidquid nonnulli dicant; illius enim est causa efficax, perinde ac si expresse consulisset.

Si vero malum exemplum non posuerit ex intentione alium determinandi ad damnum inferendum, sed tamen prævidens aut prævidere debens hujusmodi damnum inde secuturum esse, tenereturne illud reparare? Quæstio hæc inter theologos controversatur; at probabilius multis videtur eum etiam in illo casu damnum reparare teneri, cum per actionem illicitam, ad quam nullum jus habebat, alterum ad damnum efficaciter determinaverit, ita ut, secuso perverso exemplo, damnum non fuisset illatum. Ergo. Sic *P. Antoine*, p. 232, edit. 1818; *Collet*, in *Cont. Tournely*, p. 445, et *Blluart*, contra *Layman*, lib. 2, tr. 3, cap. 13, n. 6, qui plures alios citat.

SECTIO TERTIA. — De consentiente.

Duplici modo aliquis in damnum alterius consentire potest: nempe vel consensu inefficaci, cum videt malum proximo inferri, aut illatum vel inferendum esse audit, et applaudit, gaudet et exultat; vel consensu efficaci, quando malum proximo inferendum a suo consensu pendet vel determinatur: eo modo consentiunt senatores et iudices, qui per suffragia ad injustas leges, ad iniquas sententias positive concurrunt; vocales in capitulo, qui indignum ad prælaturam vel ad officium aliquod eligunt. Qui priori modo tantum consentiunt, minime ad restitutionem tenentur, siquidem etiamsi ex odio applaudant damno, nullo modo tamen in illud influunt: qui vero posteriori modo efficaciter consenserunt in damnum, illud reparare tenentur; manifeste enim in illud positive et injuste influxerunt. Idem dicendum est si, de industria et absque ratione sufficienti, absint a senatu vel a capitulo, quando prævident, defectu suffragii sui, numerum suffragiorum injustorum futurum esse ad damnum sufficientem; nam

tenentur ex officio suffragium suum in bonam partem dare, aut saltem debent quantum in se est impedire ne nomine totius collegii senatorum, canonicorum, etc., injusta sententia vel decisio evadat. Ergo. *Ita omnes.*

Verum gravis hic inter theologos movetur quæstio, an scilicet, qui dat suffragium quando suffragia ad injustam sententiam sufficientia jam præcesserunt, damnum reparare teneatur.

Certum est 1° eos qui primi dant suffragia, antequam numerus sufficiens compleatur, ad restitutionem in solidum teneri, etiamsi prævideant alios consensuros esse; in damnum enim positive, injuste et efficaciter influunt.

2° Communiter etiam admittunt doctores, omnes, tam ultimos quam primos, ad restitutionem in solidum teneri, quando suffragia secreto conferuntur, sive sciant quid alii facturi sint, sive non; cum enim sententia non feratur nisi post collationem omnium votorum, ab omnibus lata esse censetur, et damnum omnibus æqualiter imputatur: ergo omnes æqualiter istud reparare tenentur. In his igitur circumstantiis iudex stare debet pro justitia, vel a judicando abstinere, cum quocumque periculo.

Certum est 2° eos qui, post numerum suffragiorum ad damnum inferendum competentem, consentiunt, dum priores suffragantes ab iniqua sententia eloquentia sua revocare possint, ad restitutionem teneri; debent enim, ut jam diximus, quantum in se est, impedire ne injusta sententia nomine omnium feratur.

Difficultas igitur in eo consistit, an, ubi suffragia publice dantur, qui ex aliquo motivo humano consentit, postquam irrevocabiliter jam data sunt suffragia ad sententiam injustam sufficientia, nihilominus de damno inde secuto teneatur.

Duplex ea de re est theologorum sententia. Alii enim negant eum in illo casu ad restitutionem teneri: in damnum enim, inquit, minime influit, siquidem sufficientia jam irrevocabiliter data sunt suffragia, quando suum præbet consensum; ineffaciter ergo in damnum consentit, ac proinde illud reparare non tenetur. Ita *Lessius*, card. de

Lugo, Sylvius, Layman, et Vogler, qui plures alios citat, n. 302.

Alii autem concedentes præcedentem opinionem esse veram, quando sententia fit definitiva statim ut major pars suffragiorum obtinetur, ita ut alia prætermitti possent, aliter opinantur et ad restitutionem obligant quando lex, ut fit ordinarie, indicat non existere decisionem, nisi omnes jus vocem suam emittendi habentes, suffragia sua libera dederint, et dicunt sententiam tunc ferri vi omnium suffragiorum collective sumptorum. Unde concludunt eum qui ultimus suffragium dedit, nihilominus in damnum influxisse, quia sententia injusta nomine ipsius sicut et nomine aliorum fertur: ergo et ipse ad restitutionem tenetur.

Et vero, si suffragia secreto conferrentur, ultimus suffragans, etiam juxta *Sylvium* et alios, ad restitutionem sicut et priores teneretur, quia omnes in damnum per modum unius causæ concurrerent: at eodem sensu per modum unius causæ concurrunt ad damnum, quando suffragia publice dantur: ergo a pari, etc. Sic *Billuart, Henno, Daelman, Collat. Paris. et Andeg., Thomas de Charmes, Theol. Lugdun., Dens*, qui asserit hanc sententiam nunc esse communem.

Si quis dubitaret an suffragium suum ex prioribus et ad sententiam necessariis fuisset, ad restitutionem teneretur: id ipsi alterius opinionis patroni fatentur, saltem ex parte, dicentes suffragantem in illo casu pro ratione dubii restituere teneri.

Hinc qui sunt membra senatus vel capituli, cujus major pars ex inordinatis motivis facile suffragatur, sedulo cavere debent ne aliorum exemplo in dandis suis suffragiis determinantur.

SECTIO QUARTA. — De palpone et recurso.

Palpo ille est qui laudibus, plausibus vel etiam irrisionibus, exprobris, murmurationibus, etc., alios excitat et inducit ad damnum alteri inferendum. Adulator et palpo

sunt quid unum et idem. Adulatio autem sic intellecta ad consilium reducitur; itaque adulator sive palpo eodem modo ac consulens damnum reparare tenetur. Nihilominus advocatus defendere potest coram tribunalibus furem qui juridice defendi potest, quia non intendit eum liberare in foro conscientiae ab obligatione restituendi.

Recursum seu recursum praestans, ille est qui securitatem, commoditatem, protectionem, custodiam malefactori ut tali praebet, unde fit quod iste damnum inferat vel illatum non resarciat.

Receptator qui fuit causa cur damnum inferretur vel illatum non resarciretur, ad illud reparandum tenetur; illius enim fuit causa positiva, injusta et efficax. Ergo.

Hinc qui, ante factum, domum suam offerunt in asylum vel, post factum, malefactores ut tales recipiunt, eorum instrumenta et furta custodiunt vel occultant, etc., ad restitutionem tenentur. E contra, qui malefactores ut amicos, consanguineos, hospites recipiunt, ad restitutionem non tenentur; nec pariter quando illos sub spe emendationis occultant, vel ostendunt eis viam qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur: sed curare debent ne occultatio haec vel fuga causa sit cur non restituant; nam tunc injustitiae eorum fierent participes et ad restitutionem tenerentur.

SECTIO QUINTA. — De participante.

Duplici modo aliquis fieri potest injustitiae particeps, nempe in praeda et in ipsa actione qua damnum inferitur. Ille fit particeps in praeda, qui partem damni absque suo consensu illati seu rei furtivae accipit. Si hanc partem in bona fide acceperit, eam reddere tenebitur, sicut possessor bonae fidei. Si vero in mala fide eam perceperit, damnum ratione illius partis reparare tenebitur, sicut possessor malae fidei.

Particeps actionis injustae, ille est qui cum alio concurrat ad actionem alteri damnificativam, quod duplici modo fieri potest, videlicet, immediate et mediate. Imme-

diata concurrat, quando actionem alteri damnificativam simul cum aliis exercet, ut, v. g., si duo simul occidant hominem, domum spolient, incendant, etc.

Concurrat autem mediate tantum, quando ponit actiones quae per seipsas non sunt damnificativae, sed quibus malefactor utitur aut potius abutitur ad malum alteri inferendum, v. g., si scalam commodet, humeris portet, ad murum applicet, eam sustineat dum fures ascendunt; si excubias agat, si arma ministret, etc.

Iterum damnum ad quod concurrat, vel proximum laedit in bonis corporis, ut in vita et membris, vel in bonis fortunae. *His praemissis, sit*

PROPOSITIO PRIMA.

Nunquam licet, etiam ad mortem vitandam, cum alio immediate concurrere ad actionem qua proximus in bonis corporis laeditur, nisi forte agatur de vita mutilandi servanda.

Prob. Cooperari non licet ad actionem alteri damnificativam, nisi legitime praesumatur illum jus suum concedere aut rationabiliter invitum non esse: sed ubi de bonis corporis agitur, legitime praesumi non potest proximum jus suum concedere aut rationabiliter invitum esse non posse; nam homo perfectum non habet dominium in vitam nec in membra sua: ergo nunquam valide consentire potest ut haec sibi injuste tollantur, nisi forte ubi agitur de vita ipsius mutilandi servanda, ut diximus in propositione; quia sicut ipse partem corporis sui pro toto corpore servando probabilius abscindere valet, quando mors imminens ab extrinseco ita vitari potest, sic etiam consentire quod quis ipsum mutilet ut conservet vitam impetitam.

Unde, ut communiter notant doctores, ait *Vogler*, n. 310, captivi apud Turcas contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur, si in bello formaliter injusto adversum Christianos ignem bombardis admoveant, pilas explodant, sagittas jaciant, etc., non item, ex metu mortis, reinigare, annonas devchere, etc. *Vogler*, n. 313;

quia hæc de se et immediate ad mortem aut mutilationem non tendunt. Quod etiam de cæteris bellis evidenter injustis dicendum est.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non licet generatim immediate ad actionem alteri in bonis fortunæ damnificativam concurrere, ne ad mortem quidem vitandam.

Prob. Nunquam licet facere mala ut eveniant bona; sed qui immediate concurreret ad actionem alteri in bonis fortunæ damnificativam, faceret malum. Etenim injusta alterius damnificatio est mala in se; porro in eo casu damnificatio est injusta: injusta quippe est, si damnificatus sit rationabiliter invitus; atqui est rationabiliter invitus, contraria enim doctrina malefactoribus faveret et cunctis oppressionibus viam aperiret. Ergo. Ita *Vogler*, n. 310, *Bill art.*, et communiter alii.

Diximus *non licet generatim*; quidam enim absolute existere possunt casus in quibus liceat ad damnum alterius immediate concurrere, nempe 1° si cooperans intentionem ac potestatem habeat totum reparandi damnum ex actione sua secuturum; dominus enim rationabiliter invitus esse nequit quod grave malum avertatur per actum qui ut sibi damnosus non habendus est; 2° si, in aliis casibus, legitime præsumatur dominum jus suum concedere aut rationabiliter invitum non esse: ut merito autem iudicetur dominum jus suum concedere aut rationabiliter invitum non esse, habenda est ratio ipsius fortunæ, quantitatis damni quod passurus est, et mali cooperatori imminentis, si concursus suum denegaret; 3° si evidens sit damnum inferendum esse sive cooperetur, sive non, et grave timeatur malum, ex principio: *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.*

Illam autem decisio non extendenda esset ad casum in quo deficiente cooperatore, alii necessarii forent ad damnum inferendum; nec excusaretur qui æstimaret se cooperari posse, quia, si suam deneget cooperationem, alii certe

invenientur parati ad damnum inferendum; esset enim in eo casu causa positiva, efficax et injusta damni, et dominus rationabiliter foret invitus.

His casibus exceptis, omnis cooperatio immediata ad damnum alteri inferendum illicita et reprobanda videtur.

Neque dicatur licere, ex dictis in *Tractatu de Conscientia*, ponere actionem vel materiam in se bonam, ex qua duo prævidentur secuturi effectus, unus bonus et alter malus, bonum intendendo et malum permittendo: id quidem licitum est, modo duo effectus immediate sequantur ex causa posita; non vero licet malum primo producere, ut deinde bonus obtineatur, quia esset tunc facere malum ut eveniret bonum. Porro, in præsentis casu, sic præcise ageretur: malus effectus præcederet, et bonus, id est conservatio vitæ cooperatoris, ex cooperatione non immediate sequeretur; quod adeo verum est, ut, actione peracta, si malefactor adhuc timeat, cooperatorem occidere possit: unde patet hanc vitæ servationem ne procedere quidem a cooperatione tanquam a causa proprie dicta. Ergo.

Injustus cooperator, defectu principalis damnificatoris, certo tenetur damnum illatum reparare.

PROPOSITIO TERTIA.

Licet mediate ad actionem alteri damnificativam concurrere ob mortem, mutilationem, aut aliud grave damnum vitandum.

Prob. Ob rationabilem causam ponere licet actionem ex se bonam vel indifferentem quæ ex malitia tantum alterius ad malum deducit effectum: sic omnes, post sanctum Thomam, fatentur quod, ad vitandum grave damnum, mutuum ab usurario petere, aut vinum petenti ad se inebriandum dare liceat: at mediata cooperatio, de qua hic agitur, ex se bona est vel indifferens, ex malitia tantum abutentis vel cogentis alteri fit damnificativa; quamvis enim arma malefactoribus subministrantur, instrumenta illis præbeantur, excubiæ pro ipsis agantur, non ideo

damnum inferitur : sed his actionibus ex se minime damnificativis abutuntur malefactores ut damnum inferant, sicut ebrius vino sibi præstito ad se inebriandum; si ergo gravis sit ratio prædictas actiones ponendi, non magis damnum tribuendum erit cooperanti, quam ebrietas tribuitur ei qui præbet vinum.

Et vero licet, juxta fere omnes, pro vitanda morte reddere gladium apud se depositum proprietario illum ad alterum occidendum petenti; multi etiam ex adversariis fatentur quod ad vitandum grave damnum res furtivas vehere liceat, quia furtum jam consummatum est; captivi apud Turcas naves ad bellum Christianis inferendum pro vitanda morte remis movere possunt: atqui non videtur cur potius in his quam in aliis casibus ad damnum sic mediate concurrere liceret: nostra igitur propositio admittenda est. Ita *Vogler*, n. 223, et *Billuart*.

Hinc ab omni culpa proindeque ab onere restitutionis immunes sunt qui, tempore perturbationis publicæ, metu mortis, vel alterius gravis damni, ad faciendas multas deprædationes coacti sunt mediate concurrere, v. g., deprædatores comitari, instrumenta illis subministrare, excubias agere, res deprædatas transvehere, etc.

Ut autem prudenter judicetur an sufficiens existat causa ponendi actionem quæ mediate ad damnum alteri inferendum concurrat, quatuor sunt consideranda: 1° gradus influxus hujus actionis in malum inferendum; 2° gravitas mali quod secuturum est; 3° probabilitas quod alioquin non inferretur; 4° examinandum est an malum istud sit contra justitiam. Major enim requiritur ratio, si causa efficacius in malum effectum influat, v. g., si scala sustineatur ut fur ascendat, quam si tantum commodaretur; major iterum requiritur ratio, si gravius sit malum ad quod concurratur; major adhuc esse debet, si probabilis sit quod alioquin non inferretur; major denique requiritur ratio, si malum sit contra justitiam, ac proinde contra voluntatem illius cujus violatur jus strictum, quam si ageretur de malo etiam spirituali illius qui voluntarie consentit.

Ratio fundamentalis cur non liceat immediate ad damnum alteri inferendum concurrere, liceat vero mediate concurrere quando malum aliquod concurrenti imminet, hæc esse nobis videtur, scilicet, æqualitas hominum. Cum enim omnes natura sint æquales, unusquisque merito alteri interdiceret potest actionibus quæ directe sibi nocent: verum, ex eodem principio, nullus habet jus interdicens actionibus ex se indifferentibus quæ non fiunt nocivæ, nisi ex malitia tertii, modo aliunde gravis sit causa eas ponendi; jus enim istud supponeret unumquemque exigere posse ut alter actiones suas in ipsius utilitatem convertat: hoc autem evidenter repugnat; eo ipso enim tolleretur æqualitas: ergo.

SECTIO SEXTA. — De muto, non obstante et non manifestante.

Causæ negativæ seu quæ positive in damnum non influunt, obligationem illud reparandi per se non incurrunt, sed tantum ratione contractus aut quasi-contractus quem transgrediuntur, vel officii, v. g., dominus qui non impedit ne animalia sua damnum vicinis inferant, denariis publicis præpositus qui fraudi sibi notæ non obstat, etc.: id patet ex dictis.

Unde qui solummodo ex charitate damnum impedire tenentur, si illud ex odio non impediunt, quamvis facillime impedire possent, nulla obligatione restituendi constringuntur ex justitia, quamvis teneri possint ex charitate. *Sic communiter theologi.*

Ut igitur causæ negativæ obligationem damnum reparandi incurrant, tria requiruntur: 1° ut illud ex justitia impedire teneantur: 2° ut illud impedire valeant, nisi forte quis ad illud reparandum se obligaverit etiamsi absque culpa sua eveniret; nam, secluso speciali contractu, nemo tenetur reparare damnum quod absque culpa sua fuit illatum; 3° requiritur ut damnum istud absque gravi detrimento impedire queant: *est sententia communis theologorum.* Etenim si omnes qui damnum aliorum ex officio impedire debent, ad id cum gravi detrimento

obligarentur, fere quicumque habent conscientiam timoratum, hujusmodi recusarent officia : atqui societas grave detrimentum inde pateretur ; maxime enim illius interest ut præcipua ejus officia a viris pietate et probitate conspicuis exercentur : ergo. Hinc famulus cum periculo vitæ aut mutilationis ligna domini sui servare non tenetur.

Aliquando tamen fieri potest ut cum gravi detrimento, etiam cum manifesto vitæ periculo, detur obligatio damnum impediendi, nempe si de bono publico agatur ; bonum enim particulare semper bono publico cedere debet. Unde milites cum periculo vitæ obsistere tenentur hostibus irruentibus, ne civitatem ingrediantur.

Triplici modo causæ negativæ cooperari possunt ad damnum alteri inferendum, scilicet, non loquendo, non obsistendo et non manifestando ; ideoque negativæ cooperans dictus est mutus, non obstans et non manifestans.

Mutus ille est qui, licet ex officio damnum impedire teneatur, tacet dum verbo, præcepto, mimis, monito, precibus, litteris, clamore, strepitu, etc., illud impedire possit. Tales sunt superiores qui inferiores vident damnum alteri inferre, v. g., furari, detrahere, etc., et nihil dicunt ; custodes sylvarum, vinearum, etc., qui silent, dum clamore deprædatores avertere possent.

Non obstans est ille qui negligit operam dare ut malefactorem a damno avertat, v. g., dux exercitus qui civitati obsessæ non succurrit, advocatus qui defectu studii clientem male tuetur, magistratus qui sua segnitie scandala permittit grassari.

Non manifestans dicitur ille qui malefactorem dissimulat, iudicibus vel superioribus non manifestat, ad impediendum malum, si nondum sit illatum, ad illud vero reparandum, si jam sit peractum ; tales sunt præpositi negotiorum et vectigalium collectores, qui defraudantes non manifestant ut damnum dominorum vel reipublicæ impediunt.

Certum est omnes hujus generis cooperantes damnum quod sic non impediunt reparare teneri ; ipsis enim imputabile est.

Quæritur 1^o utrum confessarius qui cognoscit penitentem ad restitutionem teneri, et illum de restitutione facienda monere negligit, ad restitutionem teneatur.

R. Multum hoc in puncto scinduntur theologi, sed probabilius nobis videtur confessarium ad restitutionem non teneri, etiamsi ex gravi et mortaliter culpabili negligentia restitutionem præcipere omiserit ; confessarius enim teneri non potest ad restitutionem quam præcipere omisit, nisi, ratione officii, invigilare debeat bono temporali privatorum : at ratione officii invigilare non tenetur bono temporali privatorum ; ex officio enim curam de bono spirituali penitentis habere debet, sed minime de damno temporali alterius ; nulla enim existere videtur relatio justitiæ inter confessarium ut talem, et penitentis creditorem : ergo. Ita *Bonacina*, *Billuart* et *Vogler*, n. 325, qui pro eadem opinione decem et octo citat theologos, contra multos alios, inter quos *Navarrus*, *Sylvius*, etc.

Cæterum, omnibus fatentibus, si deinde confessarius penitentem de obligatione restituendi admoneat, pro ipso restituere non tenebitur, quia vim negligentiae suæ per monitionem sequentem sufficienter elisit, nisi penitens, qui tempore opportuno admonitus restituisset, jam non possit aut nolit restituere ; quo in casu, quæstio solvenda est ex modo dictis circa obligationem confessarii. Juxta opinionem quæ nobis probabilior visa est, restituere non teneretur, siquidem ad hanc monitionem faciendam ratione officii et ex justitia non obligatur.

Secundum probabilem sententiam, confessarius potest, imo debet non admonere penitentem invincibiliter se ad restitutionem teneri ignorantem, quando prævidet fore ut admonitus restituere nollet ; nam ex officio ea præstare tenetur quæ ad salutem penitentis magis conducunt : monitio autem in eo casu ad salutem penitentis non magis conducit ; non admonitus enim, materialiter tantum peccat ; admonitus vero et non restituens, formaliter peccabit et damnabitur : ergo.

Præterea, communissime docent theologi confessarium penitentem in pari ignorantia constitutum admonere non